



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. De Ostiis Padi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

§. 4. De Pado fluuio Galliam Cisalpinam alluente.

NVM. 1. Nomen Padi.

DICTVS est PADVS teste Metrodoro Scepsio apud Plinium lib. 3. cap. 16. à voce Gallicâ *Pades*, quæ *picam* sonat, quoniam arbor illiusmodi ad caput eius plurima: cùm linguâ Ligurum *BODINCVS* vocaretur: hoc est *fundo carens*.

ERIDANVS quoque nuncupatus est *Rex fluuiorum* Virgilio, ab Eridano solis filio quem Phaëtonem dicunt, qui fulmine afflatus in hunc fluuium cecidit, vt ait Isidorus lib. 13. cap. 21. Quomodo autem veteres inducti sint in fraudem, & hunc Eridanum Italicum cum Sarmatico confuderint qui ad Gedanum cadit *Dantzich*, diciturque hodie *Radune*, seu *Radanne*, & *Redane*; itémque de Electro ibidem crescente, quod Italiae perperam veteres affinxerunt: lege bene longam Philippi Cluuerij diatribam cùm in Italia suâ, tum in Germaniâ.

NVM. 2. Fons Padi.

ORITVR Padus ex Vesulo monte (hodie *Vesò*, seu *Visò*) aiunt Plinius, Solinus, & Mela: ex triplici fonte, vt volunt Seruius & Isidorus; vt Polybius & Mela ex fontibus. Addunt Plinius & Solinus fontem eius *visendum* esse, vnde occasio errandi Blondo existimanti nomen proprium Padi fontis esse *videndus*; certè Marrianus Capella errandi occasionem abstulit dum eum *Mirabilem* dixit. Ratio autem eius miraculi affertur à Plinio lib. 2. cap. 103. *Padi fons mediis diebus aestiuis velut interquiescens semper arct: postquam passuum tria millia decurrit cuniculo hauritur (hodie ad vicum Pisana) sicque hauritur vt nihil eius appareat; at post duo miliaria iterum emergit:* Plinio quidem in Foro-Vibiensi agro, Solino & Capellæ in Vibiensi agro. Augerur autem maximè ad Canis ortum liquatis niuibus, vt omnes veteres putauerunt, & pleraque flumina Galliae ebibit, de quibus in Geographicâ descriptione cap. 3. & 4.

NVM. 3. De ostiis Padi.

DE numero ostiorum huius fluminis duplex est veterum sententia.

Pri-

Prima, est Polybij lib. 2. duo esse Padi ostia, Paduam & Olanam: pro *Padua* legendum putat esse Cluverius *Padusa*, : Plinius notat Olanam postea dictum esse *Volanen*. Padusæ Virgilius, Claudianus & Plinius meminere; hic addit olim Messanicum dictum. Hodie Volana nominatur *il Pó di Volana*, Padusa *il Pó d'Argenta* Padus Argentanus.

Secunda sententia Pado 7. ostia assignat, quæ idè septem maria appellata sunt: sic Plinius, Herodianus, Mela, & alij. Vnde factum ut Apollonius Rhodanum 7. ostiis in mare deuolui dixerit, quia cum Eridano confuderat. Ea ostia sic tibi digerimus procedendo à Meridie in Boream.

I. & Meridionalius AVGVSTA FOSSA, aliter Fossa A sconi dicta, quæ Raenam vsque protracta erat: & hodie dicitur *il Canale di S. Alberto*.

II. PADUSA, aliter MESSANICVM OSTIVM, & SPINETICVM, itèmq; VATRENI PORTVS, quo ingressus est Claudius Cæsar è Britannia triumphans prægrandi illâ domo veriùs quàm nauì, ait Plinius lib. 3. cap. 16. Dicitur idem PADVS MAGNVS, quia præcipuum est ostiorum Padi: *Spinetum* autem à Fl. Spine ad quem vrbs Spina condita erat: *Vatreni* autem à Vatreno Fl. *Santerno*, qui Forum Cornelij alluit, cur Messanicus, nescio: hodie Padus Argentanus *il Pó d'Argenta*, & *Primaro*.

III. CAPRASIA, hodie Ostium dicitur *Bocca di bell'Ochio*, Alueus autem *Virginese*.

IV. SAGIS, & infra Comaclum cadit in mare, hodie *Porto Magno*, aliter *Porto di Magna Vacca*, à diuersorio publico hîc sito. Quòd autem hic alueus ita dictus sit, arguit vicus *Fossege* ei affixus, quasi *Fossa Sagi*.

V. VOLANE, antea OLANA, vt ex Plinio antea inuimus: hodie nomen retinet *il Pó di Volana*.

VI. FOSSA CARBONARIA, ostium hodie *il Porto di Goro*, Alueus *il Pó d'Ariano*.

VII. FOSSA PHILISTINA, aliter TARTARVM, quia hîc erat olim Tartari fluminis ostium, qui Ptolemæo Atrianus Fl. dicitur, hodie *Tartaro*, ostium autem & Alueus hodie vocantur *il Pó Grande*. Fossa verò committens tria hæc posteriora ostia FOSSA NERONIS appellabatur.